

[Physical characteristics of race and sex].

Contributors

Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Budapest] : [publisher not identified], [between 1840 and 1849]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sjcz6x36>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

indole superficie cutis externae et pilorum, corporis robore, et animae facultatibus.

I. *Magnitudo* admodum inconstans, summa in zonis temperatis, minima in gelidis, normalis inter $6' - 4\frac{1}{2}'$, media inter $5 - 6'$.

II. *Conformatio corporis externa* diversissima est singulis non raro gentibus propria, maxime a sceleti structura pendens. Praecipuam attentionem figura capitis meretur: aequalis eius convexitas, depresso aut compressio, crani ad faciem ratio, singulorum denique ossium, praecipue frontis, jugalium et maxillarium conformatio.

Ad dijudicandam proportionem capitis et ad eruendam ac definiendam similitudinem, vel discrepantias capitum humanorum, aut aliorum etiam animalium, diversae methodi cephalometricae a celeberrimis viris sunt excogitatae. Praecipuae harum sequentes esse videntur.

1-mo. *Angulus occipitalis Daubentoni*. Lineae quibus comprehenditur sunt:

a) *Axis foraminis occipitalis magni*, a margine eius posteriore, ad anteriores excurrentes, seu longitudo foraminis occipitalis.

b) *Linea in eodem margine posteriore inchoans*, et marginem orbitalem inferiorem secans; minimus est in homine 3° ; in Simia Satyro 37° ; in equo 70° ; in cane familiaris 82° . Angulus hic exprimit situm foraminis occipitalis magni.

2-do. *Methodus cephalometrica Camperi*.

A) *Angulus facialis Camperi* (in homine minimus 70°) comprehenditur.

a) *Linea descendente* (faciali) a summo punto frontis, ad medium et maxime prominentem partem maxillae superioris ducta.

b) *Linea horizontali* per aperturam meatus auditorii externi, secundum fundum cavi narium excurrente. Quo major est hic angulus, eo animal est magis anthropomorphum.

R) *Lineae quinque*, quarum una longitudinem, reliquae latitudinem metiuntur hac ratione ductae:

- a) A summo frontis puncto, ad imum menti.
- b) Inter extrema marginum orbitalium superiorum.
- c) Inter margines orbitales internos, s. latitudo radicis nasi
- d) Per marginem inferiorem aperturae anterioris nasi,
s. latitudo nasi inferiorioris.
- e) Inter angulum maxillar. seu latitudo partis inferioris faciei. —

C) *Linea horizontalis* (v. A. b.) eousque producta, donec extrellum eius, postremo puncto ossis occipitis subjaceat, secatur per axem transversum foraminis occipitalis magni, fitque anterioris eius partis, cum posteriore comparatio. In sue scropha = 10: 1; in fele leopardo = 5: 1; in simia satyro = 2: 1; in homine fere aequalis.

3-tio. *Norma verticalis Blumenbachii*. Capita ossea remotis maxillis inferioribus in plano ita collocantur, ut omnium maxillae superiores anteriore sui parte unam, eandemque lineam attingant; tum aversa parte e suggesto fixis oculis inspiciuntur, quo facto omnes eorum differentiae manifeste apparebunt.

4-to. *Methodus cephaloscopica Cuvieri*. Capite osseo in duas laterales partes ex aequo diviso, attenta harum partium contemplatione ratio cranii ad faciem facili negotio eruitur.

5-to *Lineae cephalometricae Spixii*.

a) *Linea horizontalis*, ab infimo puncto processum condyloideorum ossis occipitis, rectius a medio marginis anterioris foraminis occipitalis magni, ad margines inferiores alveolorum, dentes incisores medios maxillae superioris recipientium, ducta.

b) *Linea facialis*, ab extremo anteriore lineae horizont. Ad punctum conjunctionis ossium nasalium cum osse frontis.

c) *Linea basilaris*, ab extremo superiore lineae facialis ad extrellum posterius lineae horizontalis.

d) *Linea verticalis*, per verticem ducta, horizontali paralella.

e) *Linea occipitalis* per postremum punctum ossis occipitis, faciali paralella.

Linea facialis sursum producitur ut verticalem, linea vero *horizontalis retrorsum*, ut occipitalem secet.

Ex *angulis*, concursu harum linearum formatis, praecipui sunt.

a) *Angulus facialis*, linea horizontali et faciali comprehensus, quo caput humano similius fuerit, eo magis ad rectum accedit.

b) *Angulus cranii*, linea basilari et faciali sursum producta comprehensus, extra triangulum situs; quo caput humano similius fuerit eo major est, in homine obtusus. *Angulus* hic imaginem totius faciei metitur.

c) *Linea basilaris cranii* situm exhibet; triangulum, linea basilari, horizontali, et faciali comprehensum faciei; *Linea vero occipitalis*, *verticalis*, cum horizontali et faciali productis, totius capitinis imaginem quadamtenus referunt.

III. *Color cutis* in diversis gentibus, imo in singulis non raro individuis diversus, est: albus, gilvus, rufus, fuscus, niger. Fabrica etiam cutis diversa, neque eodem materiae perspirabilis odore praedita. Cum colore cutis, pilorum, cum primis capillitii, color multum convenit. Copia etiam pilorum in integris gentibus variat. Americani paucos habent pilos. Denique oculi (iris) cuti et pilis quadamtenus concolores sunt.

IV. *Musclorum robore* manifeste etiam discrepant homines. Europaei in universum fortes sunt.

V. *Animae facultatibus* singuli homines mire differunt, sed et gentilitiae cranii et ipsius cerebri differentiae, cum diversa harum facultatum indole connexae esse videntur.

Singulae fere differentiae, quae hucusque recensitae sunt, non raro seorsim occurunt, sed et plures earum certa quadam lege iunctae reperiuntur ita, ut peculiarem et constantem typum referant; eadem itaque methodo, quae in reliquis

historiae naturalis partibus adhibetur, hominis etiam genus et species unica, in plures varietates divisione varia diducitur.

Usitatissima est divisio *Blumenbachii* quinque hominis varietates distinguenter, scilicet: *Causasicam*, *Mongolicam*, *Americanam*, *Malaicam* et *Aethiopicam*. Varietas caucasica perfectissima est, et medium quadamtenus locum occupat, inde relique opposita directione versus utrumque extremum deflectunt. Mongolica et Americana depressione totius corporis, praecipue capitis; Malaica vero et Aethiopica compressione eius insignitae. Aethiopica procul dubio infima, simiis magis quam reliquae finitima.

I. Varietas Caucasica (Europaea).

Color cutis albus, vasis sanguiferis translucentibus, carneus, genae labiaque rubra, capilli flavi, vel fusti, sed et nigri, oculi coerulei, fusti, glauci, raro nigri; facies ovalis frons arcuata; ratio cranii ad faciem = 4: 1; angulus facialis Camp. 80°—85°; ossa jugalia parum prominentia; nasus gracilis, labia tumidula, inferiore crassiore, dentes utriusque mandibulae ad perpendiculum inserti, mentum rotundatum; proportio partium omnium summa et venustissima, robur musculorum insigne, facultates mentis excellentes. Huc juxta *Blumenbach* Europaei omnes, exceptis Finnis et Laponibus; incolae Asiae occidentalis, denique habitatores Africæ borealis referendi sunt. Character humanus sumimus, cultura summa, et orbis imperium penes has gentes sunt.

II. Varietas Mongolica.

Statura parva, extremitates breves, color cutis gilvus, capilli pauci, nigri, breves, recti, barba rara, caput fere quadratum, facies lata, plana; ratio cranii ad faciam = 40: 11, angulus facialis Camperi 75°, frons recedens, ossa jugalia multum prominula, nasus parvus, simus, glabella lata

plana, oculi minus vicini, fissuris palpebrarum fere linearibus, robur muscularum minus, levitas corporis insignis. Huc populi reliqui Asiae, Malaicis exceptis, ex Europaeis et Americanis gentibus: Lapones, Finni, Eskimotae, Grönlandi spectant. Cultura in universm sequentibus reliquis varietatibus praestat, apud nonnullas gentes antiquissima sed stabili. Ferissima huius varietatis progenies, Tartarica ter orbem cultum infestavit.

III. Varietas Americana.

Color cutis cupreus, capilli rari, nigri, recti subtiles, barba rarissima, facies lata, non tamen complanata lineamentis multum compressis, frons brevis, aut oblique recedens, ossa jugalia et maxillaria superiora prominula, nasus submissus, prominens tamen. Huc Incolae Americae, exceptis Eskimotis, Grönlandis etc. referuntur. Apud nonnullas huius gentes, dum pars haec detegeretur, cultura haud exigua vigebat antiqua.

IV. Varietas Malaica.

Color cutis badius, capilli nigri crassi, molles, spissi, caput angustum, frons prominens, nasus latus, maxillae superiores protractae, os magnum. Huc incolae Australiae, Novae Hollandiae, Insularum Maris pacifici, sed et Moluccarum, Sandaicarum; peninsulæ Malaicae, usque in Indiam diffusi, multi ferocissimi, alii longe mansuetiores Apud nonnullos reliquæ culturae vetustissimæ.

V. Varietas Aethiopica.

Color cutis fusco niger, vel ater, capilli nigri, breves, crassi, lanuginosi, caput a lateribus plurimum compressum, ratio cranii ad faciem = 40: 12, Angulus facialis Camperi

70°, frons recedens, ossa jugalia prominentia, mandibulae porrectae, mento represso, dentes magni lati, incisores superiores oblique inserti, oculi prominentes, fissura palpebrarum minore, bulbo et plica semilunari majoribus, iride nigra, nasus latus simus, naribus amplissimis, musculi maxillam inferiorem attollentes magis exulti, fossa temporalis maior, auris externa rotundior, magis a capite remota, foramen occipitale magnum retrorsum situm, cerebrum durius, nervi, cum primis trigeminus crassiores, organa gustatus, olfactus et genitalia multum evoluta, pelvis angustior. Huc incolae Africae, boreali excepta, nonnulli habitatores Australiae, imprimis novae Guineae, denique Aethiopes insularum Andaman. Cultura in universum exigua. In India occidentali, ubi major est, ab Europaeis mutuata.

Mixtura hominum ad diversas varietates pertinentium, *varietates secundariae* oriuntur, uti: Mulattae etc. Harum vel invicem, vel cum primariis varietatibus mixtarum progenies, propriis rursum nominibus insignici solet.

Quod ortum collectionum, in quas genus humanum dividere solemus, attinet, consentiens plurimorum naturae scrutatorum est opinio, communem omnibus originem esse; homines nompe a primitivo stemmate Caucasio sensim descivisse ita, ut non genere solum, sed et specie convenient, in varietates tantum dispescendi. Ex argumentis pro hac sententia pugnantibus a *Blumenbachio* studiose collectis, praecipua haec fere sunt:

1-mo. Dissimilitudo varietatum, quae extremis inter se collatis, ingens esse videtur, magna ex parte evanescit, si innumerorum transituum ratio habeatur.

2-do. Characteres, quibus varietates hominum inter se differunt, eius sunt indolis, ut longo temporis spatio, sola degeneratione oriri potuerint, huius vero plurimae, eaeque potentes causae sunt, ut: clima, victus, consuetudines etc. quibus hodie adhuc formas hominum non parum mutari videntur.

3-tio. Idem probat analogia. Sunt nempe animalia, domestica cum primis, uti: sus etc. quae sola degeneratione plurimum mutantur, mutationibus nequaquam ad corporis molem aut cutis colorem restrictis, verum in ipsa conformatione partium, capitum etiam, manifestis.

Alii contrariam sententiam propugnant, plures generis humani species distinguendas esse asserentes Th. Paracelsus etc. Plurima argumenta in hanc partem collegit Rudolphius quibus tamen omnibus nequaquam probatur fieri non posse, ut universum genus humanum, a communibus parentibus originem ducat.

Ingentibus illis mutationibus, quas tellus nostra pro lapsu temporis experta est, integrum humanum genus, nostro antiquius, perinde ut innumera inferroris ordinis animalium genera, visceribus terrae sepultum interiisse, verosimile non est; *Anthropoliti* enim veri nominis hucusque nulli sunt reperti.

C a p u t III.

De Differentiis hominum quoad sexum.

Expositis hucusque, quibus homo a reliquis animalibus, hominesque, quamvis unicum genus, speciemque constituentes, inter se differunt proprietatibus, restat, ut, quod inter virum, feminamque humanam intercedit discriminem, pance exponamus. Discrimen autem istud partim in Sceleti ipsius conformatione, totiusque corporis fabrica, partim in organorum generationi dicatorum, horumque functionum diversitate consistit.

I. *Sceleton* feminae, ab eo viri manifeste differt. Sic 1-mo Sceleton feminae est minus, gracilis, processibus osseis minus evolutis. 2-do. Cranium antice angustius, posteriora versus in femina magis elongatur. Faciei quoque dimensiones omnes in genere minores sunt. 3-tio. Corpora vertebrarum in femina minus lata, foramina intervertebralia ampliora, pars autem colummae vertebralis lumbalis longior est quam

in viro. 4-to. Thorax brevior, et usque ad costam quartam amplior, inferiora versus augustior, figurae adeoque ovalis, in viro e contra pyramidalis. 5-to. Pelvis quoad omnes diametros in femina major, arcus pubis amplior quam in viro. 6-to. Ossa femorum in femina antrorsum magis curvata, collum cum corpore huius ossis angulum minorem efformat, pedes minores. 7-mo. Extremitates superiores breviores, claviculae, minus curvatae, humeribus humilioribus, minus remotis, articulatio manus angustior, digiti tenuiores. 8-to. Longitudo trunci, cum longitudine extremitatum inferiorum collata in viro fere coincidit, in femina extremitates inferiores relate ad truncus sunt proportionaliter longiores.

Fabrica etiam totius corporis feminei est multo tenerior, materia organica minus perfecte elaborata, hinc robur etiam musculare minus, sensibilitas tamen major in feminis observatur.

II. Maximum tamea discrimen inter virum et feminam constituunt organa genitalia, eorumque functiones.

A) Organa genitalia virilic.

1-mo. *Formationi dicata*: a) *Testes*, b) *Epydydimes* (initium ductus excretorii) c) *Vasa semen deferentia*, d) *Vesiculue spermaticae*, e) *Prostata*.

2-do. *Coitui dicata*: a) *Glans*, b) *Penis*, c) *Praeputium*.

B) Partes genitales femineae.

1-mo. *Partes generationi proprie dicatae*: a) *Ovaria*, horum ductus excretorii b) *Tubae Fallopiae*, ad receptaculum c) *Uterum* ducunt, in quo foetus eiusque asservatur donec a matre solutus vivere possit.

2-do. *Partes coitui dicatae*, et quidem *internae*: d) *Vagina* ductus excretorius uteri, et *externae*: e) *Labia externa*, f) *Labia interna*, et g) *Clytoris*.

Comparatio partium genitalium utriusque sexus.

Respondent: ovariis testes; tubis fallopiis ductus defrrentes; Utero prostata cum vesiculis senimalibus; Clytoridi,

Nymphis et vaginae penis, labiis pudendorum scrotum. — Comparationem hanc singularum partium significatio (e. gr. ovaria, testes sunt organa secernentia) et morbosae mutaciones magis confirmant.

Mammae sexui foemineo cum virili communes sunt, in sexu tamen femineo magis exultae.

Functiones genitales viriles.

Secretio spermatis. Ingruente pubertate, qua iuvenis indoles psychica plurimum mutatur incipit secretio spermatis in testibus, haec aetas apud nos 14—16 annus est, sunt tamen non paucae potentiae, quae pubertatem accelerant, vel retardant: clima, educatio, victus, somnus etc.

Sperma est liquor foecundans ingenti vitalitate, nisuque plastico gaudens. Excernitur in statu normali vel pollutionibus nocturnis (per se haud morbosis) vel coitu.

Functiones genitales muliebres.


Pubertas iu puellis perinde ut in pueris uberiore totius corporis et partium genitalium — mammarum etiam — evolutione ingruit, sed pubertatis phoenomenon est *fluxus menstruus*, sub nostro coelo plerumque 12—15 comparens. Potentiae quae pubertatem accelerare vel retardare valent in femineo fere eaedem sunt, quae in virili sexu. Primis vicibus catamenia haud regulariter, neque sine molestiis comparent, serius organismo jam adsueto regulariter et fauile singulis mensibus redeunt. Duratio valde diversa est a 2—8 dies. Copia excreti sanguinis variat inter 2—6 uncias. Redit fluxus menstruus apud nos per 30 fere annos, usque 45—48 aetatis annum. Toto hoc tempore vita sexualis viget, et mulier concipere potest. Tempore graviditatis et lactationis silent menstrua.

Peracto coitu, subsecutaque conceptione in utero status exaltatae vegetationis oritur, qui cum inflammatorio magnam

similitudinem habet. *Graviditas* decem mensibus lunaribus, novem solaribus seu 275—280 diebus durat, quibus exactis *partu* finitur, quo foetus a nexu cum corpore materno revelatur, ab organis quorum ope nexus erat solvitur, ut vitam propriam vivere possit, corpus maternum revolutionem universae vegetationis subit, qua ad eum sensim statum perducitur, in quo ante conceptionem erat. *Fluxus lochiorum* et *lactatio* transitum ad eum faciunt. — *Eluxus lochiorum* — neglecta lactatione copiosior — est excretio materiae initio seroso cruentae, serius seroso mucosae, tribus fere hebdomadis durans. — *Lactatio* est protracta graviditas. *Infans* recens natus humoribus maternis, sed eadem via ut homo adultus nutritur. Desinens energia uteri in mammas nunc convertitur. Sub graviditate mammae perinde et uterus mutantur, majores fiunt, molliores, plus sanguinis accipiunt, acini manifestiores evadunt, nuncque primum in veras glandulas lac secernentes vertuntur.

T h e s e s.

1. In Metamorphosi organica continuo novae generantur qualitates, destructis aliis.
 2. Mentem aegrorum disponere ad pulcherrima medici officia spectat.
 3. Medicus Medici judex.
 4. Phantasia multorum malorum mater et medela.
 5. Qui phantasia carent, etiam memoria hebetes sunt.
 6. Physionomia est inscriptio: qualis homo et animo, et corpore sit.
 7. Peccata parentum, saepe proles luunt.
 8. Non dantur certa virginitatis criteria.
 9. Vestimenta seminarum, physice et moraliter plus nocent, quam prosunt.
 10. Multa Modico imputantur, quae accessoriis circumstantiis debentur.
 11. Circulationis causa principalis in sanguine ipso quaerenda.
 12. Proverbium: „quot capita tot sententiae“ etiam in Medicina suam invenit adlicationem.
-



FIRST PAGES
FRONT COVER
ARE MISSING